



**R. P. Francisci De Oviedo Madritani, Societatis Iesv,
Theologiæ Professoris, Cursus Philosophicus**

Oviedo, Francisco de

Lvgdvni, M.DC.LI.

§. 3. Appetitus materiæ exponuntur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95503](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95503)

nequit habere appetitum complacentiæ circa effectum neque ut præsens, neque præteritum, neque futurum.

16 Non possum non mirum horum recentiorum ingenium commendare, in re enim quam omnes maiorum veltigis inherentes prætermisere, nouam lucem nobis dedere; nihilominus (illorum pace dixerim) claiorem credo desiderari dabo forsitan, quia difficultas penitus ab omnibus inspicitur. In memoriam reuoco distinctionem appetitus in practicum & speculatiuum. Practicus appetitus dicitur respectu illius obiecti, cuius executio dependet ab appetentis actu, speculatiuus respectu obiecti, ad cuius executionem impertinens est appetentis actus. Certum est potentiam appetitiuam sapere desiderare illa, quorum executio omnino est independens ab actibus illius, cuius desiderij obiectum recentiores non explicant, quia hic actus desiderij non regitur cognitione mouente ad opus, & effectum, ut ipsi absolute de omni desiderio pronunciant. Neque circa hæc obiecta, cuius executio à voluntate non dependet desiderium dari potest in instanti in quo existunt, inepre enim quis diceretur desiderare pluiam existentem in illo instanti, in quo iam existeret; idem dico de desiderijs ex ignorantia, & errore produceret; idem dico de omnibus alijs obiectis iam productis, & possessis independentem à desiderio, circa quæ nemo dicitur desiderium concipere. Circa illa obiecta cuius executio dependet ex meo desiderio recte datur desiderium in illo instanti, in quo existunt, ut ipsa existant, quia desiderio secluso non essent ex vi huius causalitatis.

17 Ex quo infero recte explicasse recentiores obiectum desiderij practici, & complacentiæ respectu eiusdem obiecti, desiderium autem & complacentiam respectu actus speculatiui, hoc est tendentis circa obiectum, quod independentem ab actu appetentis exercetur, explicari non posse, nisi per ordinem ad obiectum absens, & præsens, seu ut absens, vel præsens cognitum, obiectum enim quod non cognoscitur ut absens, non potest desiderari, actu desiderij speculatiui, neque circa illud potest dari actus complacentiæ, nisi formaliter apprehendatur, ut præsens absolute, vel conditionate. Infero secundò desiderium speculatiuum, quod in causis dari explicui §. præcedenti semper debere esse de obiecto absenti, & possessum esse complacentiæ, non enim ex alio capite potest distingui appetitus complacentiæ, & desiderij circa obiectum, cuius executio non dependet à desiderio, nisi ex præsentia, vel absentia obiecti circa quod versatur uterque actus. De appetitu efficaci qui consistit in actu primo ad æquato assensio sapientissimis recentioribus asserentibus semper esse appetitum desiderij, & nunquam complacentiæ, quia semper fertur in obiectum, ut faciendum ex vi illius, quod est proprium desiderij & nunquam fertur in illud ut iam factum, quod necessarium est ad constituendum actum complacentiæ.

§. III.

Appetitus materia exponuntur.

18 Non alijs principiis, præter iam tradita, indiget, huius rei ad æquata solutio, sed tantum aliquibus conclusionibus illatis specialiter de appetitu materia, ex his, quæ de appetitu omnium causarum supra exposui.

PRIMA CONCLUSIO: Materia prima nuda omni forma habet appetitum ad omnes sibi vniendas, seu ad omnia tota componenda, sub disunctione, ad hoc vel illud totum ex omnibus, quæ potest componere. Probatur hæc conclusio ex natura eiusdem materiæ, quæ est pars incompleta ex se ordinata ad totum componendum, non potius ad hoc, quam ad illud, ex quo inferitur appetere totum componere, & propendere in illius compositionem, sicuti omne ens propendet in acquisitionem illius ad quod ex natura sua ordinatur, & cum non magis ordinetur ad componendum hoc totum, quam illud, non magis appetit hoc, quam illud componere, sed æquè omnia sub disunctione, scilicet, hoc vel illud ex omnibus. Neque hunc appetitum subterfugunt formæ corruptæ, quia materia prima ex se æquè potens est ad formas corruptas, & ad alias & æquè contenta esset, si illarum aliquam per reproductionem reciperet, ac si nouam aliam acquireret.

Obiicit Arrag. Materia non potest habere appetitum ad impossibile: sed impossibile est materiam recipere formam iam corruptam: ergo non potest habere appetitum ad illam. Respondeo distinguendo antecedens, materia non

Franc. de Oniedo, Philosoph. Tom. I.

potest habere appetitum ad quod ex se est impossibile, transeat ad id, quod hic, & nunc est impossibile per accidens, nego. Et minorem eodem modo distingo: impossibile est materiam recipere formam corruptam, ex suppositione quod præcesserit corruptio formæ, quæ per accidens euenit, concedo; per se impossibile est recipere illam formam, cui accidentaliter corruptio contingit, nego; deinde nego consequentiam.

19 SECUNDA CONCLUSIO: Materia habet appetitum ad formas recipiendas sub disunctione explicata conclusione præcedenti, insuper sub disunctione rationalis animæ sibi vniendæ, hoc est, habet appetitum ad recipiendam aliquam formam casu, quo rationalis anima non illi vniatur, quia appetitus recte cum præcedente explicabitur, si dicamus materiam primam appetere vniorem ad animam rationalem, vel vniorem, & receptionem alicuius formæ, ex reliquis, quæ ex illa possunt educi. Ratio est clara. Materia appetit vniorem formæ materialis, non absolute, sed si illi vnienda non est forma rationalis: ergo eodem modo appetit receptionem materialis formæ. Probo consequentiam: eo ipso quod materia appetat vniorem formæ, appetit id, quod necessarium est ad vniorem, pro illo euentu, in quo vniorem appetit: Sedeductio formæ materialis est necessaria ad vniorem eiusdem: ergo illam appetit materia pro eodem euentu, pro quo appetit vniorem ad eandem formam: Sed tantum appetit vniorem ad formam materialem sub disunctione rationalis, quod est idem ac appetere formam materialem, si illi non vniatur rationalis; ergo tantum appetit cum eadem disunctione formam materialem recipiendam, ex eo quod illam sibi vniendam appetat: sed non est alia ratio, propter quam materia appetat educationem nisi propter vniorem, quia materia primariò & per se ordinatur ad totum componendum, in quo ordine consistit ratio essentialis illius constitutiua, & secundariò ad formam recipiendam. Ideo enim materia recipit formam, ut illam sibi vniat, non tamen illam sibi vnit, ut eam recipiat. Sicut enim conceptus primariò materia est virtus terminatiua vniõis per modum extremi perfectibilis, & secundariò virtus receptiua formarum medià vniõne, sic primariò appetitus est ad formas vniendas, & secundariò ad recipiendas ex vniendis illas, quæ ex ipsa possunt educi.

20 TERTIA CONCLUSIO. Materia prima non appetit omnes formas sibi vniendas, vel recipiendas successiue. Hæc conclusio est contra communem sententiam, quam verissimam esse, facile probo. Materia prima dum habet formam substantialem sibi vnitam, cum omnibus requisitis ad vniorem, habet satiatum appetitum, etiam si perpetuò duret sub eadem forma: ergo non appetit omnes formas successiue recipiendas, quia si hoc appeteret, non esset materia contenta existens semper cum vniõne ad eandem formam, sed peteret relicta vniõne ad hanc formam, quam habet, ad aliam transire, ut consequeretur id, quod appetit, videlicet formas omnes successiue pertransire. Neque ex eo quod materia appetat omnes sub disunctione, hoc est, hanc, vel illam ex omnibus, inferitur appetere omnes successiue, aliud enim est materiam primam semper habere aliquam formam, aliud habere omnes successiue: primum appetit materia, non secundum.

21 QUARTA CONCLUSIO. Materia prima, dum habet formam aliquam, illam appetit appetitu ex se inefficaci ad æquæ identificato cum sua entitate, quem nu. 6. explicui, actu complacentiæ, & non desiderij. Probatur hæc conclusio ex dictis n. 16. & 17. ubi probaui, actus desiderij, & complacentiæ in appetitu inefficaci distingui essentialiter ex præsentia, & absentia obiecti, & non posse actum desiderij ferri in obiectum præsens. Secundò, cum isti affectus sint non proprii, sed per metaphoram, & translationem dicti, debent componi ad similitudinem, & æmulationem priorum actuum: ergo sicuti potentia volitiua, quæ hos actus propriè exercet, quiescere, & complacere dicitur per actum elicatum in bono iam possessio, sic dicendum est de appetitu innato eandem quietem, & complacentiam inuenire in bono iam acquisito.

22 Obiicies contra hanc conclusionem; Materia prima per eundem actum appetit formam siue præsentem, siue absentem: Sed absentem appetit actu desiderij: ergo eodem actu fertur in præsentem. Maiorem probo: actus appetitus non distinguitur ab ipsa materia: sed materia est eadem: ergo actus appetitus est idem, Minorem admittunt omnes;

N 2 con

consequentia est legitima. Respondeo in actu appetitus desiderij, & complacentiæ duo reperiri, rationem appetitus & rationem talis appetitus, quæ duo in appetitu elicitio, qui verè est actus potentie appetentis non distinguuntur, quia ratio communis, & vniuersalis à minus vniuersali, generica videlicet ab specifica, in nullo ente physico distinguuntur. In actu verò appetitus innati, quem per metaphoram fingimus, etsi cum fundamento in re, distinguimus rationem talis appetitus, ratio appetitus non distinguitur ab ipsa materia, ratio verò per quam hic appetitus constituitur in ratione talis, videlicet desiderij vel complacentiæ ex præsentia, vel absentia obiecti distincta ab ipsa materia, & ita materia semper appetit per eundem actum, quatenus actus habet rationem communem appetitus, non verò quatenus habet rationem talis appetitus, desiderij videlicet vel complacentiæ.

25 QUINTA CONCLUSIO. In instanti in quo materia supponitur cum appetitu complacentiæ ad aliquam formam, nihil appetit appetitu desiderij pro illo instanti: Probo. Si aliquid appeteret maximè formam aliam substantialem casu, quo hæc deficeret, sed implicat ex suppositione appetitus complacentiæ, qui inuoluit ipsam existentiam formæ, formam deficere: ergo implicat purificationem conditionis, sub qua alia forma esset appetenda: ergo implicat illam appetit sub conditione, cuius purificationis negatio supponitur. Neque refert in appetitu elicitio semel dari actus inefficaces complacentiæ vel desiderij de obiectis sub conditione repugnantibus, quia cum potentia appetitiua indifferentiam habeat ex diuersarum cognitionum aduentu, potest hos diuersos actus exercere: in appetitu autem innato nullum est fundamentum ad hos actus fingendos, neque in illo debemus dare appetitum, qui non feratur in consequentem vniuersi finis, ad quem entitas ex natura sua ordinatur, appetitus verò elicitus varios sibi fines ex potentia cognoscere propositos intuetur.

26 Dices materiam primam, posse in eodem instanti, in quo habet formam antecedenter ad existentiam illius, illam vel aliam appetere appetitu desiderij. Respondeo id fieri non posse, quia appetitus desiderij & complacentiæ, ut dicebam modo, constituitur per absentiam, & præsentiam obiecti, unde in signo in quo præcinditur à præsentia, vel absentia obiecti, tantum potest intelligi appetitus præcisè, non ratio desiderij vel complacentiæ, in signo autem alio non potest intelligi positivè absentia obiecti pro illo instanti, quia id, quod non est in instanti temporis, non potest intelligi in aliquo signo pro illo instanti.

27 SEXTA CONCLUSIO. Materia prima in instanti in quo habet formam, appetit pro instantibus sequentibus retinere quam habet, vel aliam acquirere. Quia eo ipso quod appetat perpetuò habere formam, necessario appetit retinere quam habet, vel aliam acquirere. Hunc appetitum esse desiderij ex absentia obiecti efficaciter probatur.

28 SEPTIMA CONCLUSIO. Materia iam in actu primo constituta cum omnibus prærequisitis ad formam appetit appetitu desiderij & non complacentiæ formam illam, seu illas formas ad quas est in actu primo: Conclusionem hanc rectè probant recentiores intendentes probare materiam primam nullam formam appetere appetitu complacentiæ: illorum rationem dedi num. 14. & 15. ubi dixi rectè procedere de appetitu efficaci constituto in actu primo ad æquationem ad omnem effectum, ubi similiter probavi materiam primam habentem dispositiones formæ ignis, esse in actu primo ad omnes, & æquè omnes desiderare hanc vel illam sub distinctione obtinendam.

29 OCTAVA CONCLUSIO. Materia prima secundariò habet appetitum ad formas accidentales, quibus indiget ad sui conseruationem, & ad componendum totum, quia eo ipso quod appetat suam conseruationem, & compositionem totius, appetit secundariò totum id, quod necessarium est, ut conseruetur, & ut totum componat. Reliquas formas accidentales, quæ necessariè non sunt ad conseruationem materiæ, neque totius, existimo materiam non appetere, sed tantum habere non repugnantiam ad illas, ita æquè bene se habet cum illis: sic se habet aer respectu lucis, specierum impressarum, quas mittunt obiecta alia similium qualitarum.

PUNCTUM V.

An materia existat per existentiam formæ.

A Deo tenuis, & macra est natura materiæ primæ, ut illius existentia Thomistas omnes subterfugerit, quorum omnium vna vox est materiam existere per existentiam formæ. Ita Caiet. Sonc. Ferr. Iauellus, apud Suarez disp. 13. Metaphys. lect. 3. n. 6. Sot. lib. 1. Physic. q. 6. dubio 2. quibus accedunt Durand. in 2. dist. 12. quest. 2. Valles. Controv. 7. ad Tyrone.

Oppositam sententiam scilicet materiam primam existere per propriam ipsius existentiam defendunt innumeri Doctores: Scotus in 1. dist. 12. q. 2. ibid. Gabr. Greg. cum reliquis Nominalibus, ex nostris Pater Vazq. 1. p. 1. dist. 54. n. 9. Suar. supra, num. 8. Tolet. 1. lib. phys. quest. 13. Pereira lib. 5. c. 13. lib. 1. Met. c. 7. q. 3. sect. 8. Rub. lib. 1. phys. tract. 2. quest. 2. Hurt. disp. 8. Arriag. disp. 2. sect. 5. quibus libentissimè subscribo. Potissimum fundamentum huius sententiæ sumendum est ex identitate inter essentiam, & existentiam, quæ posita, recta sit argumentatio. Essentia materiæ primæ distinguitur ab essentia formæ: ergo existentia materiæ ab existentia formæ. Existentiam non distingui ab essentia, probabo in Metaph. Controv. 2. Punct. 3. & ex ibi dictis huic questionis satisfiet, & efficaciter Thomistarum opinio impugnata manebit. Ceterum nostri Doctores in litterarum Palæstra semper animo erecti non contenti intra propria caltra contrarios debellare inimicos, sua repetentes, adhuc intra illa insequuntur, admissaque distinctione inter essentiam, & existentiam cum ipsis Thomistis pugnam ineunt pro existentia propria materiæ defendenda. Disputandum est ergo, an casu quo materiæ existentia ab essentia distingueretur, concedenda esset materiæ primæ propria existentia distincta ab existentia formæ. Procedere potest hæc disputatio ad homines contra Thomistas iuxta illorum principia, & absolute nullo alio admisso principio præter illa, quæ ex ipsis rerum naturis inferuntur, vel ex ipsa terminorum apprehensione citra controuersiam apparent, & ut utroque modo procedat disputatio, nonnulla præmittam.

Præmitto id, quod in omnibus disputationibus, quæ ex suppositione procedunt omnibus semper præ oculis esse vellem, scilicet eo ipso, quod demus existentiam materiæ distingui ab essentia, necessariò debemus supponere omne id, quod per locum intrinsecum inferitur ex hac distinctione, & quod illi necessariò coniunctum est. aliàs quæsitio locum habere non poterit; quia cum ex vna parte concedamus materiam primam distingui ab essentia, si ex alia negemus id, quod per locum intrinsecum coniunctum est cum hac distinctione, procedet quæsitio ex principis contrariè, & contradictoriè oppositis: exempli gratiā: supponamus rationale posse separari ab animali, debemus dare, rationale non esse idem cum animali, quia si datà illà separatione, velimus retinere identitatem inter animal, & rationale, rectè poterit inferri: ergo illa, quæ sunt idem, separari possunt: quod est absurdum consequens, & legitima consequentia, & consequenti admisso facile poterit illius contradictorium probari, & ita facile trahetur disputatio ad duplex contradictorium, & neutrum ex suppositione, quia loquimur casu, quo supponamus tantum rationale posse separari ab animali, quin supponatur distinctio horum extremorum, neque posse separari idem à se ipso, neque aliud principium necessariò cum hac separatione connexum. Concedendum ergo est, ut disputatio locum inueniat, si semel admittitur rationale posse separari ab animali, rationale non identificari cum animali, vel posse idem à se ipso separari. Ex quo nihil poterit inferri quod obstat respondentis, quia licet aliàs probetur contradictorium illius, quod supponitur non oberi arguenti, qui rectè potest duplex contradictorium admittere, vnum verum ex natura rei; alterum ex suppositione sumptum, quod ipse nouit falsum esse, illud tamen disputationis gratiā admittit; sed dammandus est arguens, qui impugnatur id, quod ipsi gratis disputationis causà concessum est. Hæc doctrina optimè obseruanda est in pluribus disputationibus, quæ ex suppositione procedunt, in quibus opposita videntur inferri, ad quas angustias non traheretur disputatio si debito modo procederet.

Ex hoc infero datà distinctione inter essentiam, & existentiam